

*Et hæc norma est pro reliquis Morsulis cum
pulveribus conficiendis, qui ex tempore pa-
randi sunt, dum præscribuntur.*

NITRUM ANTIMONIATUM

vide sub

ANTIMONIO DIAPHORETICO ABLUTO.

NITRUM DEPURATUM.

R. Nitri q. v.

Solve in sufficienti quantitate aquæ puræ calidæ.

Quiescat liquor per nychthemerum, quem
dein filtra, & ad cuticulam evaporatum in cel-
la pone, ubi concrestant crystalli a sale com-
muni repurgatæ, quas serva.

NITRUM PRÆPARATUM

sive

LAPIS PRUNELLÆ.

R. Nitri crudi libr. j.

Fluat in crucibulo vel in fartagine ferrea
igni imposita, atque tunc successive injiciatur
Florum Sulphuris unc. j.

Massa

Massa demum effundatur guttatum in laminationem metallicam politam, vel in tabulam marmoream, ut sub Rotularum forma concrescat.

OLEA DESTILLATA

ÆTHEREA.

OLEUM ABSINTHII.

℞. Herbæ Absinthii cum floribus q. s.

Adfunde octuplum aquæ communis, & destilla ex vesica, donec nullum amplius elevetur oleum, quod ab aqua separatum serva; aquam vero destillatam novo Absinthio adfunde, rejecto priori, iterumque destilla, idque toties iterando, donec sufficiens habeatur olei copia, quæ in vasis vitreis bene clausis asservanda.

Hoc modo parantur

OLEUM FLORUM CHAMOMILLÆ.

LAVANDULÆ.

FOLIORUM MENTHÆ CRISPÆ.

PIPERITÆ.

ORIGANI.

ROSMARINI.

O 3

OLEUM